



D. T. ¹³ O. M. F.

DISPUTATIONEM JURIDICAM

De

CONSVETUDINE,

Ex

Nobilissimi Jctorum Ordinis con-
sensu ac permissu

P R E S I D E

DN. JOHANN-ERNESTO
NORICO, J. U. D. & pro tempore
Academ. Rectore Magnifico,

Domino Patronò, Præceptore ac Fautore suo,
et atem colendo

solenniter examinandum proponit

M. JO. ULRICUS MAYERUS, Lips.
Autor.

Ad D. XXX. Junij

A. O. R. M DC LXV.

L I P S I Æ

Typis Viduæ HENNINGI COLERI.

H. C. Sigl...

D. V. O. M. R.

DISPUTATIONEM JURIDICAM

DE

CONSVETUDINE

EX

Nobilissimi Ictorum Ordinis con-

sentis ac perenni

P R A E S I D I

DN. JOHANN. ERNESTO

NORICO, J. U. D. & pro tempore

Academ. Rectoris Magistrici

Dominio Patricio, Praeceptoris ac Rectoris sub-

alterni collegio

solenniter examinandi in proprio

M. JO. ULRICUS MAYERUS, Isp.

Autor

MD. CXX. Junii

N. O. R. M. DE LVN.

LIPSIÆ

Typis Vidorii Henningii Opera

[Faint handwritten notes]





IN
NOMINE DOMINI NO-
STRI JESV CHRISTI.

Sic enim cum Iustinianô benè universa geruntur, si rei
principium fiat decens & amabile DEO:

Nov 6. pr.

Et si Præfationes breves in ICris commendentur, *L. 1. ff. de O. I.* quia magis faciunt ad pompam, quam ad Essentiam: *Rol. à Vall. P. 1. Conf. 59.* et Doctores non debent, quando legunt, tempus (quò nihil pretiosius, et si vulgò nihil vilius habeatur,) in præconijs & verbis frustratorijs expendere *arg. L. 39. §. 1. C. de. Appellation.* Idcirco nec verbosos commentarios conscribere satago cum Cajo, *L. 1. ff. de O. I.* Sed ipsa Consuetudinis nostræ principia, sine splendidis alijs principiis, aggrediar; & quæ à Doctorebus hæc de re certatim scripta sunt, breviter delibabo. Satis enim esse puto; ex varijs ICtorum scriptis optima quæq; congerere, quæ propriæ viribus industriæ excogitata præferre. Ne verò extra metas vagari videar, convenientius esse puto Disputationi meæ certos cancellos præscribere, quibus ipsa se contineat, (ne per rerum permissionem quandam introducamus difficultatem, §. 3. *l. de. Legat.* Eamq; in tria Capita dispescere: quorum 1) Consuetudinis Definitionem & Divisionem, 2) ejusdem Causas, 3) Effectus. Adjuncta, Affinia & Contraria exponer.

Præfatio.

A 2

CAP.

CAPUT I.

DE CONSVETUDINIS DEFINITIONE & DIVISIONE.

Thesis I.

Definitio Consvetudinis est vel Nominis I. Rei. Ad clarā enim & evidentem cuiusq; Rei enodationem duo requiruntur. *ὀνομασλογία & πραγμασλογία*, Hornej. *Comp. Dial. L. 1. C. 11.* Definitionem autem Nominis dum præmitto, nihil absurdū multorum gravissimorum Virorum sententiā facio. Est enim illa semper præcognoscenda, ut à cognitione vocum incipientes, in ipsius rei cognitionem perveniamus, uti præclare sentit Philosophus *Libr. 1. Polit. c. 1. & arg. L. 7. §. 2. ff. de suppellectil. legat.* Hæc verò Nominalis Expofitio tripartita est, Etymologica, Homonymica & Synonymica. Quod Etymologiam spectat, Consvetudo est vocabulum compositum, à particulā con & antiquò svesco descendens, quod Veteribus & imprimis Ciceroni perquam in usu fuit, prout hoc ipsum testatum facit Buchner: in Lexic. Fabri. Nec quicquam nos movet *Cujacius ad L. 32. ff. de LL. cui eam. à consuendò dictam atq; deductam visum. Meyermi Colleg. Iur. Argent. 8. 33. fin.*

Etymologia

Thesis 2.

Nec Homonymia, quippe quæ errorum est genitrix, & Philosophis æquè ac Jctis naufragium minatur præsentissimum, siccò, ut a junt, pede prætereunda venit. Varias enim Consvetudo obtinet significationes. Sumitur autem 1) pro sociali & arcuā conjunctione, familiaritate ac conversatione, *§. 1. I. de patr. potest. L. 24. ff. d. R. N.* (2 pro usu & assuefactione alicujus privatā, quæ etiā altera Natura dicitur, *L. 9. pr. ff. de Liber. & posthumi L. 50. §. fin. ff. de Legat. 1. L. 5. §. 5. ff. de acqu. rer. dom: 3.*) pro nudā tantum observantiā, quando quid ita indistinctè sine ratione & Lege fieri consuevit, *L. 37. seqq. ff. h. r. L. 1. C. quæ sit long. Consvet:* Aded ut nec causæ cognitionem patiat; quæ tamen rectius exempla dicuntur ac præjudicia, *Cujac. Libr. 2. Observ. 1. Tandem*

Homonymia.

Tandem pro ipſo Iure, quod ex frequenti & inveteratō hominum uſu procedit. In quō ſignificatu iterum dupliciter accipi poteſt, 1. late. 1. ſtrictē. Strictē quidem pro eā tantū Conſuetudinis parte, quæ in ſtatu populari obtinet, quomodo ſumitur in *L. 32. §. 1. & L. 35. ff. h. t.* Latē verò, pro quocunq; Iure non expreſſō conſenſu inducō, ut in *L. ultim. C. quæ ſit long. conſuet.*

Theſis 3.

Pro ſynonymiō ſe ſiſtit, quod Conſuetudo in Iure noſtrō vocetur longa, *L. 35. ff. h. t.* Ius non ſcriptum, *§. 3. I. de I. N. G. & C.* Vetus Conſuetudo, Inveterata, Priſca, antiquitus obſervata, *Vetustas, L. 13. §. 1. ff. de Pollicitat. L. 32. ff. h. t. L. 5. C. qui militar. poſſ. L. ultim. C. quæ ſit long. Conſuet: L. 2. ff. de aqu. & aqu. plur. arcend: Plura ſynonyma ac ſignificationes qui deſiderat, vid. Meyer. Colleg. Jur. Argent: h. t. §. 33.*

Synonymia.

Theſis 4.

Perſpectā jam nominali definitione, pergitur ad Realem. De *Definitio.* finitur à variis variē, nec unus ferē Autorū cum alterō convenit. Duarenus *ad L. 32. ff. de LL.* definitionem ſuam deſumit ex Ciceronis *L. 2. d. Invent.* hōc modō: Conſuetudo eſt Jus non ſcriptum, quod in morem vetuſtas vulgi approbatione perduxit. Donellus *Libr. 1. Cap. 10.* Eam eſſe uſum populi diuturnum pro Lege cuſtodiendum arbitrat. Aliam aſſert Azo, *ad L. 2. C. quæ ſit long. Conſuet.* Quam tamen meritō Bartolus Commentariō ad eand. *L.* reprehendit. Nos eam ſic definiendam cenſemus: Conſuetudo eſt Jus Civile, non pugnans cum Lege Naturæ, diuturnis utentium moribus ſine ſcripto inductum, & tacitō conſenſu Legislatoris comprobatum.

Theſis 5.

Diviſio.

Communiter dividitur in Generalem, quæ vim Legis habet, & ubiq; in Imperiō Romano ſervatur, ut ſunt Conſuetudines Feudales: & Specialem ſ. Localem, quæ in certā Provinciā eſt introducta & vim Statuti ſ. Legis municipalis habet, *L. 3. §. 5. ff. de ſepulchr. violat. L. 1. & 2. C. quæ ſit long. Conſuet.* Hoſtienſis in Rubricā X. de Conſuet: quatuor Conſuetudinis proponit ſpecies, dividens eandem in generaliffimam, quæ ubiq; ſervatur; generalem, quæ in aliquō regnō ſ. provinciā viger; ſpecialem, quæ in civitate

virate quādam l. etiā pagō obtinet, L. 13. §. 1. ff. *Commun: prædior.* L. 3. §. 5. ff. *de sepulchr. violat.* & tandem specialissimā s. particularem, certa alicujus familia: solennem: Quæ divisio etiā quodammodo tolerari potest; *Vvesenbec. parat. tit. de LL. Schneidev. Comm. ad I. t. d. I. N. G. & C. Meyer: Colleg. Jur. Argent. t. de LL. Pacius Isagog ad ff. t. de LL.*

CAPUT II. DE CAUSIS CONSVETUDINIS.

Thesis 6.

Causa Efficiens.

Causam Efficientem primū promimus; Illa verò, Consensus Populi; hic enim & Legem condere potest, L. 32. §. 1. ff. *h. t.* Quod in liberō populō non multum habet difficultatis atq; dubitationis. Plus quæstionis est in eò, qui superiorem recognoscit. Alii existimant, necessariò hic requiri Scientiam Principis, quia in illum omnis potestas condendi jura, Lege Regiā, translata, L. 7. *pr. ff. de Constit. Princ. c. cum non ignores 15. de præbend. Cyn. & alij in L. 2. C. quæ sit long. Consuet.* Sed falsò; quippe sic rarò, vel nunquam introduceretur consuetudo, imò & eò ipsò Legis essentiam haberet. *Dn. D. Brunnem. ad Vvesenb. Parat. t. de LL. quæst. 20. Sufficit itaq; ne Princeps contradicat, atq; tacitè patiatur consuetudinem introduci; facit hic textus in c. 1. de Constit. in Sexto, ubi Pontifex censetur ignorare Consuetudines ac statuta, qui tamen omnia jura in scrinio pectoris sui habere dicitur. Bartol. ad L. de quibus. 32. h. t. numero 11. Iason ad eand. L. numero 30. Schneidev. Comm. ad I. t. d. I. N. G. & C. numero 3. Vvesenb. Parat. t. de LL. numero 9. Anton. Pérez. Comm. ad C. t. quæ sit long. Consuet. Sirauch Diss. 1. §. 9. Schottan. Exam. Jurid. ad ff. t. de LL. Struv. Syntagm. Jur. Civ. Exerc. 2. §. 20.* Consensus verò ille tacitus sit ac spontaneus, necesse est. Circa actus enim necessarios Consuetudo nō versatur, & ad omnem obligationē requiritur consensus liber, cui vis obstat ac metus, *Zoes. Comm. ad ff. h. t.* Proinde excludimus h. l. omnes, qui reverà consentire non possunt, quales sunt dementes, furiosi, minores 25. annis, mulieres; *Dec. in L. 2. ff. de R. j. numero*

mero 38. per *syn. in d. l. 2. c. q. sit. long. Consuetud. Abb. in c. fin. col. 7. d. Conser.* Quia consilium animi apud sceminas non tam firmum reperitur, *Bl. in c. significavit. de Rescript. col. 1.* Sed de his nihil attinet dicere, cum ob tantum temporis intervallum non attendatur nec etiam attendi possit, à quibus l. à quâ parte populi Consuetudo introducta sit, ut rectè dicit *Besold. in n. ff. d. L. L. numero. 8.* Quemadmodum itaq; expressa Sanctio Legem facit, ita tacita voluntas populi Consuetudinem. Unde quoad vim ac effectum inter duo hæc nihil superest differentia; quid enim interest, inquit Iulianus in *L. 32. §. 1. h. t.* suffragio populus voluntatem suâ declaret, an rebus ipsis & factis; *Vinn. Comm. ad l. 1. de I. N. G. & C.* Requiritur porro, ut à majore communitatis parte observetur, aut ejus noticia habeatur, nec contradicatur *L. 2. pr. ff. de Municip. fac. text. in, c. qui tacet & ibid. Dyn. de R. L. in 610.* cum in omni communitate ad valorem actuum ejus sufficiat consensus majoris partis. *X. de his que fiunt à maior.* Nam quod major pars curiæ efficit pro eò habetur, ac si omnes egissent, *L. 19. ff. ad municipal. Zas. Comm. ad ff. h. t.*

Thesis 7.

Materiam Objectivam Consuetudinis constituunt, tum Res, tum Personæ. Res quidem & honestæ & licitæ. Rerum enim turpium ac impossibilem nulla est obligatio, *L. 185. ff. d. R. I. L. generaliter 26. ff. d. V. O.* Et Rei non bonæ pessima est Consuetudo. Omnis namq; Consuetudo rationabilis esse debet, *c. unic. x. de Consuet. L. 39. ff. h. t. Menoch. consil. 52. n. 171. Vvesenb. Parat. t. d. L. L.* Quapropter quicquid est contra Jus divinum, naturale l. gentium, quicquid honestati & bonis moribus repugnat, vel ad peccatum deducit sub prætextu consuetudinis defendi nec potest nec debet. Quod ad Personas, & illæ rectè ad Consuetudinis materiam pertinent, quippe quæ illâ obligantur, *Bartol. ad L. 2. C. que sit. longa* Et licet furiosi, minores & c. eam inducere nequeant, attamen inducta jâ consensu eorum, qui sunt ad consentiendum habiles, etiam eos obligat, *Bartol. in d. l. 2. C. que sit long. Consuet. q. 22.* Saluò tamen Minoribus beneficio Restitutionis in integrum, videlicet si sit casus, quod venditio in quâ qui s. deceptus beneficio suo uti, & se in integrum restituti potere potest, ut qui ad contrahendum adhuc

Causa Materialis.

hac idoneus non est. An verò Consuetudo pertineat ad Foren-
 ses. & eos qui in locò Consuetudinis domicilium non habent, sed
 ratione alicuius contractùs l. alterius negotii alijs uantis per ibi
 morantur, item an liget adhuc eos qui olim in locò Consuetudi-
 nis habitauerunt. & jam alibi degunt, non opus est ut hic pluribus
 discutiamus, vid. citat. *Bartol. in L. 32 ff. de LL. Colum. antepen.*
usq. ad fin. Hoc tamen silentiò prætereundum non est, quod
 castrum vel villa uti debeat Consuetudine eius Civitatis, cuius Iu-
 risdictionem agnoscit, vel cui per Principem unita & addicta, *Br.*
in d. L. 2. qv. 26. arg. L. 28. §. quod si, C. de Episc. & Cleric. L. 12.
§. fin. de Excusat. L. 57. in fin. ff. de Re. Judicat. Quod enim juris
 est in principali, idem quoq; juris est in accessoriò ac eisdem ad-
 junctò, *arg. L. 26. §. 2 ff. de pact.* Secus tamen est in castris & vi-
 cis, qui habent fines limitatos nec ad Civitatem pertinent, *arg. L.*
16. ff. de acqu. rer. domm.

*Causa For-
 malis.*

Thesis 8.

Forma Consuetudinis in duobus consistit: partim in actum fre-
 quentiã, partim in temporis diuturnitate. Quoad actum fre-
 quentiã magna Doctoribus crux, magnum dissidium ortum,
 quot nempe & quales adesse debeant. Sunt enim qui velint unũ
 sufficere; quorum opinio meritò exploditur, per hoc, quod actu-
 um frequentia requiratur, qualem non ponit unicus actus. A com-
 muni opinione, quæ duos postulat, non recedimus, ex hãc po-
 tissimum ratione ac fundamentò, quod actus requirantur in plu-
 rali numero; hic autem in dubiò duorum numero est contentus,
L. ubi 12 ff. de testib. L. 3. C. de Exiscop. audient. An autem ac-
 tus illi sint Iudiciales an extra Iudiciales, nihil refert, quia ea, quæ
 tacitò consensu introducuntur, Iudicis præsentiam non requirunt,
L. 28 C. de transaction. Imò positã necessitate hujus Requiriti,
 nulla potest nasci Consuetudo; Si enim sententia debet præcedere
 Consuetudinem, ita ut non nisi per eam possit introduci, repug-
 nabit hoc Requiritum, quò minus dari possit prima Sententia Ju-
 sta, quia sine iure feretur, vel si Sententia illa jam præsupponit
 introductam Consuetudinem, eam jam ante sententiam fuisse ne-
 cesse est. Hinc etiam tacitus consensus sufficit, nec opus est
 contradictione & Iudiciò: Imò in *L. 38. h. 1.* alterutrum re-
 quiritur,

quiritur, aut Consuetudo, aut rerum similiter iudicatarum au-
 thoritas. Hoc tamen non inficias imus, judiciales facilius quā-
 docij; probare, modò sint notorij, ut verisimiliter in notitiam po-
 puli venire, & ex ijs de tacitò populi consensu constare possit,
Gail. Libr. 2. Obs. 31. Qui Cameram Imperialem hanc opinionem
secutam sapius, affirmat. Coler Process. p. 1. c. 3. VVesenb. parat.
h. t. Berlich Decis. aar. 74. Magnific. Doming Carpz, P. 2. C. 3.
Def. 22. nu. fin. Dn. Philippi, Ecl. 27. Cum verò Consuetudo fa-
 cti sit, certum tempus ad eam introducendam definiti posse, ne-
 gamus, quia ea non perficitur tempore, sed à tacitò consensu popu-
 li, qui nullò certò terminò ad quem, definiti potest. Non enim
 dependet consensus à tempore, sed à scientià & approbatione Po-
 puli, quæ scientià & approbatio quandoq; duobus actibus con-
 tenta est & tempore minimò. Hos itaq; actus in tempore quidem
 fieri oportet, sed nò præcisè in tanto tempore. Concurrit enim
 tempus ad Consuetudinem non ut Concausa sed ut circumstantia,
 cujus proinde quantitas ex conditione actuum mensurari de-
 bet, qui si ita sunt manifesti ac potentes, ut brevi tempore robor
 fumant, hoc breve pro longo est, respectu effectus. Et hinc quod
 in Iure definitum non est, id arbitriò Iudicis relinquendum esse
 putamus, qui pro negotij qualitate, modò longius modò bre-
 vius statuere potest, arg. *L. 1. §. 2. ff. de Iur. deliber. Vinn. Comm.*
ad t. 1. de I. N. G. & C. Hillig. ad Donell. Libr. 1. cap. 10. Coras. ad L. 32.
ff. h. t. Duarenus Comment ad ff. Lib. 1. t. 3. Anton. Faber ad L. 38. ff. de
LL. Menoch. 2. de arb. cas. 81. nu. 7. Harprech. h. num. 40. & alij ibi allegat,
Ingeb Exerc. 2. qu. 7. Ludov. Disp. 1. §. 14. Quamvis contrariù quam-
plurimi Dd. statuunt, qui plerumq; 10 annos requirunt, Gail. Libr.
2. Obs. 31. Mynsing. Cent. 6. Obs. 41. Arum. Exerc. Justin. 1. §. 19.
Schneidevv. ad §. 9. I. d. t. Zæf. Comm. ad ff. h. t. Moti in primis
 hâc ratione, quod Consuetudo dicatur longa, t. t. (. quæ sit long.
 Consuet. Longum autem tempus est decennium inter præsen-
 tes, *L. fin. C. de præscrip. long. tempor. L. 1. pr. & §. fin. C. de Usucap.*
transform. & diuturnum, non minus decennio, L. 16. §. 3 qui
& à quib. man. At meminerint Longum accipi pro subjctâ ma-
 teriâ, & h. l. indefinitè pro tanto tempore, intra quod in suffici-
 entem populi notitiam actus Consuetudinis possunt pervenire,

igitur & consensus longi temporis indefinitè accipiendus, pro sufficiente ad suum effectum, qui est Consuetudo. Quod verò Solon existimaverit, si Athenienses per decennium Legibus suis uterentur, fore ut consuetudine earum postea illas non mutarent, ut refert *Herodot. Libr. 1. Historiar.* id, inquam, nobis non obstat, quia de aliâ Republicâ, quid, quod tantum de assuetudine loqui videtur. De Iure Saxonico res nullâ difficultate laborat; siquidem eò Iure nulla alia præscriptio (quâ res incorporales ac immobiles præscribuntur) cognita est, quam tricenaria cum annò & die *dreyßig Jahr/ Jahr und Tag/ i. e. ein und dreyßig Jahr/ Sechs Wochen/ drey Tage/ Land Recht Libr. 1. art. 28. 29. Schneidew. d. 1. supra allegatus Dno Carpz. Iurapr. Forens. P. 1: Consf. 3. Def. 21. 22. Dno Philippi Ecl. 27.*

Thesis 9.

Ut etiam de Fine aliquid subjiciamus, sciendum, talem Consuetudinem finem habere, qualem omnes aliæ LL. de quibus scitè admodum dicitur: Omnium Legum finem esse extremum aut necessitatem, aut utilitatem subditorum; *cap. non debet. 8. de Consangu. & affin.* Eam enim ob causam consuetudo introducta est, ne jura populi tum Romani, tum etiam aliarum gentium, (cum quælibet provincia, ne dicam civitas aut villa, suas singulares habeat consuetudines, & Iudex secundum eas judicare debeat, ne litem suam faciat, per text. *Auth. jubemus. C. de Judic. Gail. Libr. 2. Obsf. 31. L. 1. C. de Servit. & aqu.*) in incerto essent, sed cuiq; de Iure suo constare possit; de quibus enim causis scriptò jure & Legibus non utimur, id custodiri oportet, quod moribus & consuetudine introductum est. *D. L. 32. ff. h. t.*

CAPUT III

DE CONSUE TUDINIS EF FE

ctu, Adjunctis, Affinibus & Contrarijs.

Thesis 10.

Varios Consuetudo sortitur Effectus, 1) enim, quando introducta est, secundum Legē eandē confirmat & interpretatur, o-

B 2

ptima-

Effectus!

tima enim Legum interpretis est Consuetudo, *L. 23. ff. h. t. 2*)
 cum introducitur præter Legem, quia de casu in Iure nondum de-
 cisō providet, tunc novum Ius inducit, & vim Legis obtinet, mag-
 namq; habet auctoritatem, §. 9. *I. de I. N. G. & C. L. 37. pr. L. 33.*
35. 36. ff. h. t. L. 1. 3. C. h. t. 3) quando introducitur contra Legē,
 effectus est, tollere & abrogare Legem, etiam generalem, si con-
 suetudo itidem sit generalis atq; iusta; si verò est specialis, Legem
 generalem tantum in eò locò tollit, ubi viget, §. 11. *I. de I. N. G.*
& C. L. 32. §. 1. ff. h. t. L. 1. §. 1. C. de caduc. tollend. Schneidev.
Comm. ad I. t. de I. N. G. & C. Meyer. Colleg. I. A. h. t. Imò &
tantum vim obtinet, ut etiam obliget in conscientiā, c. de his diff.
11. Zaf. Comm. ad ff. h. t. Perez. Comm. ad C. t. que sit long. Consuet. Fr.
Svarez L. 7. de LL. c. 4. 18. Sutholt Diff. 1. aph. 93. Mastert. Libr. 1.
Dub. 19. Dng Struv. Syntagm. Iur. Civ. Exerc. 2. §. 22. Quamvis
dissentiat Azo, ad L. 2. C. que sit long. consv. qui Consuetudinem
planè Legem scriptam abrogare non posse, contendit; & Dua-
renus Libr. 2. Comm. ad ff. c. 12. Gregorius Lopez, Libr. 1. Animadu.
c. 5. Qui negant ac denegant Consuetudini omnem effectum
vincendi Legem directè, sed id fieri patientiā & dissimulatione Le-
gislatoris, observantiam haud ita strictè exigentis. 4) quod
tribuat tam Ius agendi, quàm excipiendi, Br. ad L. 32. col. 9. de LL.
Ius agendi intelligimus non criminaliter, sed civiliter; Nam tunc
unà cum consuetudine certa actio inducta est, & ea observari de-
bet: sin minus & Consuetudo Legem tantum interpretatur, actio
Legis locum habebit, quia Lex interpretans intelligi debet secun-
dum naturam Legis interpretatæ, ut loquitur Br. in L. nihil. 2. ff. de
conjung. cum emancip. lib. Secus est, quando de novo aliquid
inducit, tunc enim coincidit cum actionibus aliarum Legum,
ex quoq; retineri debent; sin minus, & de Iure communi nulla
actio superest, agitur ex Consuetudine tanquam Conditione ex
Lege, L. 1. ff. de Condi. ex L. Quando autem tribuit Ius excipi-
endi, tunc non secus ac reliquæ exceptiones, intra præfinita tem-
pore proponi debet.

Thesis II.

Consuetudini etiam varia accidunt; tum interpretatio &
 extensio, quando Consuetudo interpretationem recipit & ad

B. 3

Adiuncta.

2 lig



alia similia extenditur, *L. 32. pr. L. 39. ff. h. t.* Tum mutatio, alia. v. g. Lege lata vel Consuetudine contraria inducitur (de qua mutatione plura in *l. 13.*) Tum etiam probatio; cum enim in factu consistat, probanda est ab eo, qui eam allegat, ex communi Doctorum axiomate, quod alleganti onus probandi incumbit, *L. 2. ff. de probat. & presumpt. l. 1. C. quae sit long. Consuet. Mascard. de Probation. Concl. 427. nu. 20. 26. Bl. in praesud. feudal. nu. 4. Aymon Cravetta Consil. 325.* Quamvis verò non sit de necessitate, fortius tamen quis Consuetudini confidere potest, si contradictoriò iudiciò fuerit probata atque confirmata, *L. 34. ff. h. t. l. 1. C. h. t.* Quomodo autem sit probanda disquiritur? Nos iterum communi Doctorum opinioni adhaerendum esse censemus, & ad ipsius probationem, si non sit notoria duos testes sufficere putamus per *L. 12. ff. de testib.* & quidem maxime fenes adferentes, aliquid semper ita observatum fuisse, idemque à Majoribus suis se audivisse, *L. 28. ff. de probation.* quamvis tutius sit plures testes producere posse, uti moris est in multis Provinciarum Hollandicatum curijs, ubi probari debet Consuetudo per testes decem & turbam, ut Pragmatici loquuntur, non singulis examinatis, sed omnibus simul uno eorum referente, ut testatur *Zaf. Comm. ad ff. h. t. Perez. Comm. C. r. quae sit long. Consuet.* In casu tamen necessitatis, ubi plures haberi nequeunt, duorum numero iudex contentus esse debet, vid. *Siruv. Syntagm. Iur. Civ. Exerc. 2. §. 21.* Quaestio hinc exoritur inter Doctores vexatissima, an nempe unius Doctoris assertio plenè probet Consuetudinem? Quamvis hoc velit *Br. ad saepe. allegatam l. 32. ff. h. t.* Tamen id ipsum nos negamus, ex hoc fundamentò atque ratione moti, quia quæ facti sunt, prudentissimos quosque fallere possunt, *L. 2. ff. de jur. & fact. ignor. Dn. Carpz. Libr. 1. Decis. 3. nu. 23. 25. Dn. Philip. Ecl. 28.* Insuper & Instrumentis publicis probari posse, testatur *Mascard. V. 1. Concl. 4. 25.* Minimè autem famà, ut probat *Hart. Pistor. Observ. 217.*

Affinia.

Thesis 12.

Inter affinia Consuetudinis referri solent à Doctoribus *Statuta*, quæ etiam Legibus annumerantur, *c. 1. 2. de Constitut. in 610. l. 46. ff. de V. S. l. 3. §. 5. ff. de sepulch. violat.* In quibus locis Con-

Consuetudo & Statuta promiscuè usurpantur. Et hæc ipsa Statuta in Iure nostrò interdum vocantur Decreta, interdum & Leges municipij, *t. i. ff. de decr. ab ord. fab. l. ult. ibid. l. i. C. de sero. Reipubl. caus.* De quorum materiâ cum integri extent Tractatus, Sebastian. Medic. Albert. de Rosar. Ludovic. Schrader, Io. Campegij & aliorum; ideo ad eosdem Benevolam Lectorem remitto, Quidam etiam hîc *Responsa Prudentum* annumerant, quippe quæ in *L. 2. §. 5. ff. de O. I.* Ius non scriptum appellantur, vid. *Strauch. Dissert. 1. ad ff. §. 13. Franzk. Comm. ad ff. r. de O. I. nu. 18.* Affinis quoq; Consuetudini est *Observantia*. quæ est frequens ille usus, ex quò tandem Consuetudo oritur. Huc pertinet *Stylus Curie*, qui certam formam præscribit, quemadmodum acta Judiciaria & sententiæ rectè præscribi debeant. Deniq; *Præscriptio*, quæ similitudinem quandam cum Consuetudine habere quidem videtur, at totò cælò ab eâ differt: Præscriptio enim ob negligentiam Dominorum introducta acquirit Ius contra invitum, unde necessario certum tempus in eâ statuendum erat Dominò, quod sufficiens videbatur ad suas sibi res perquirendas; Consuetudo autem nititur tacitò omnium consensu, ideoq; tempus aliquod necessarium ut introducatur, non ut præscribatur.

Theſis 13.

Contraria.

Quemadmodum verò omnes res suum agnoscent interitum, suam finem; Ita & nostra Consuetudo quandoq; abrogatur, irrita fit & annihilatur: & i.) quidem *Irrationabilitate*, quæcunq; enim Consuetudo non sapit Rationem, sed Iuri divinò aut humano contradicit, *das es nicht eine gute und vernünftige Gewohnheit sey*; illa ipsò Iure irrita est & nulla, imò pro impossibili habetur, in tantum, ut si quis delictum contra Ius Naturale, veluti est Adulterium, furtum perpetraverit, mala consuetudo à pænâ eum non excuset, *Trentler. V. i. Disp. 1. §. 9. lit B. 2.) expressè abrogatione*, s. aliâ Lege post illam ipsam Consuetudinem factâ. Princeps enim, qui tacitè Consuetudinem introduci passus est, potest ex causâ aliquâ superveniente ponderosâ iterum dissentire; qui enim Leges condere, ille & easdem abrogare potest. Non tamen facile recedendum est à Consuetudine præcedente, sed ratio, quæ illam svasit, probè est custodienda. Quapropter ne quid con-

contra probatam & longam Consuetudinem fiat, ad sollicitudinem suam revocabit Præses Provincia, L. 1. ff. b. t. Zæf. Comment. ad ff. b. t. Perez. Comm. ad C. d. t. Struv. Synagm. Iur. Civ. Exorc. 2. §. 21. Finn. Comm. ad L. r. de I. N. G. & C.

Thesis 14.

Conclusio.

Atq; hæc ex hæc Consuetudinis amplissimâ materiâ delibasse sufficiat. Quamquam fatear lubens mihi jure meritoq; illud tritum proverbium objici posse, Herculis cothurnos ipsimet mihi aptasse, Attamen cum in magnis interdum & voluisse sat sit, Tu, Benevole Lector, veniam, quam obnixè exoro, meo huic conatui atatiq; juvenanti ex æquò & bonò largire, & si quid humanitus passus fuerim (homo enim sum, humani nihil à me alienum puto,) aut quicquam adjecerim, quod assensu & suffragiò eorum, qui in iure rectè sentiunt, minus dignum sit, benignè interpretare: Omnium enim habere memoriâ, (quæ valde labilis est, arg. L. 14. pr. ff. de acquir. l. amittend. poss.) & penitus in nullò hallucinari, aut nunquam à rectò tramite aberrare divinitatis magis quàm humanitatis est. Eruditam ac meliora doceri cupio: neq; me pigebit, sicubi hæsitaverim, quærere, neq; pudebit, sicubi erraverim, discere. Et hinc cum seriâ TRIUNIVS DEI Collaudatione de tabulâ manum positurus, hanc meam dissertationem hemistichio illò modestiæ plenò

Cedam, meliorâ docenti

FINIO.





Quem videt exoriens Titan lapsusq; sub undas,
Jura Dices vigili sollicitare manu,
Huic jocus est, dignos Te Vindice, Bartole, no-
dos
Solvere, quos æqui nescia nescit Eris.
Quin igitur Cathedram scandis, Meiere, Themistos,
Atq; paras Eridos. scindere mente plicas.

*Ita, Præ Eximio Dn. Respondenti
applaud.*

Præses.

Ad Eximium Dn. Respondentem.

Laudo conatum. Faustum dabit his quoq; Finem,
Omnia qui in Mundô dirigit acta Deus.
Dum sectaris Avum, Tibi gloria certa parata est,
Quâ post Fata etiam Jure superbit Avus.

boni ominis causâ scrib.

*D. Samuel Vangel P.P.
& Superintend.*

MIERE, dulce Patris & meum decus,
Sic ergò segnes rumpis acriter moras,

Ultraq;

Ultraq; semper tendis, ex humili loco
Sanctæ Themistos splendida ad faugia,
Qvò Te Priorum duxit alta gloria
Et fama dudum, mente grassatus pari?
Maacte esse Te jubemus, & qvò aspicias,
Cum volta vertis ad cathedram Præfidis,
Dictum quadratis exaratum literis, †
Probare porro. Crede, par Avis eris,
Vel major etiam fælgidis honoribus,
Seu fatafaxint nos Tibi superstites,
Seu lux suprema fessa claudat lumina,
MEIERE, dulce Patris & meum decus

† ΜΗΔΕΝ ΑΝΑΒΛΑΑΟΜΕΝΟΣ.

*Suo olim discipulo, nunc Amico
dilectissimo fac,*

*L. Fridericus Rappolt,
Prof. Publ.*




01 A 6531

ULB Halle 3
002 937 506




W 17





Flu.
trod
Sac
6. ul
, Ne
p. c.
de ju
p. T
a. n.
char
jurat
Offic
3. ibi
tere.
coar
Meie
XV
s er
nter
vi fa
247
eine
if. m
qvoe
50)
ne de
erbis
ihil t
te, l
te Pat
itro k
, qv
Vellej
d. ad T
2. ff. c
252
& Co
. cert
. l. 12.
N



D. T. ^{13.} O. M. F.

DISPUTATIONEM JURIDICAM

De

CONSVETUDINE,

Ex

Nobilissimi Jctorum Ordinis con-
sensu ac permisso

P R E S I D E

DN. JOHANN-ERNESTO
NORICO, J. U. D. & pro tempore
Academ. Rectore Magnifico,

*Domino Patrono, Praeceptore ac Fautore suo,
atatem colendo*

solenniter examinandum proponit

M. JO. ULRICUS MAYERUS, Lips.
Autor.

Ad D. XXX. Junij

A. O. R. M DC LXV.

L I P S I A E

Typis Viduae HENNING, COLERI.

H. C. D. G. L. S. P.

